



Politikai  
röpiratok.

221

221

2086

DECLARATIO  
STATUUM  
CATHOLICORUM,

QUI

AD CONVENTUM CATHOLICUM

Die 30. Novembris Anno 1790.

Apud Archi-Episcopum Coloczensem  
celebratum non influxerunt.

*Abaffly Ferenczöl.*

4.

1790.

DE BALLAGI GÉZA

Dī meliora piis , erroremque hostibus illum.

*Virgil.*

---

P R Æ F A T I O.

*Ex Catholicis, qui ad Conventum Archi-Episcopalem die 30. Novembris celebratum non influxerunt unus, quod nomine omnium in sequenti Declaratione loquar, causa est: quod putem reliquis quoque Collegis meis eandem mentem esse, aut esse debere.*

*Jure hoc loquendi utor exemplo primorum Sacerdotum, qui Catholicæ, id est Universalis reclamationis nomine in Sessione Diœtali fatum Conventum Archi-Episcopalem honorarunt: ad quem tamen nec ego, nec me Majores, nec mihi æquales plures influximus.*

*Propere scriptum observabunt Lectores, qui benevoli sunt, debile, qui eruditi, accommodum tempori boni Cives, malignum Doctores: Peto ab illis veniam, ab his non theologico-scholasticam Christianitatem, quæ Religioni idem præstat, quod Sophisma Justitiæ.*

Editor.

---

Infra-

---

**I**nfrascripti Ungari Catholici, qui ad  
Conventum Catholicum apud Excellen-  
tissimum Illustrissimum & Reverendissi-  
mum Dominum Archiepiscopum Colo-  
censem die 30. Novembris Anno 1790.  
non comparuimus, nec ad Tractatus  
ipsius influximus, nec repræsentationem  
ad Regem pro subscriptione præsentibus  
Deputatis Laicis per D. D. Episcopos ex-  
hibitam subscripsimus, & causas hujus  
nostri facti Publico necdum declaravi-  
mus; declaramus presentibus:

*Imo.* Quod convocatio nostri ad  
suam Archiepiscopalem Excellentiam fa-  
cta fuerit, qua Catholicorum tantum;  
consequenter partialitatem prætulisse  
nobis visa sit, quæ quemadmodum di-  
visionum omnium mater est, ita nos  
ignari causæ ob quam convocabamur, &

gnari principii unionis, ob quam per  
Committentes nostros ad Comitata missi  
sumus, præfatum Catholicum Conven-  
tum accedere formidolosum esse arbitra-  
bamur, probe scientes, nos esse prius  
Ungaros, postea Religionarios.

2do. Quod posteaquam convoca-  
tionis causa patefacta, & in sessione re-  
gnicolarum die 10. Decembris celebrata pu-  
blice proposita ac cognita fuit, ad præ-  
fati catholici conventus conclusa acce-  
dere, piaculo nobis duximus ideo: Quia  
1. sine sufficienti ratione Resolutioni Re-  
giæ contrariari. 2. Regni negotia mora-  
ri & pervertere. 3. Jus hominis ex-  
tinguere. 4. Juri hungarico insidiari. 5.  
Constitutionem Regni in quæstionem  
summere. 6. Principis potestatem circa  
sacra periclitari, & denique 7. Sub  
velo religiosæ pietatis sacerdotalibus pas-  
sionibus velificare, erroneum esse arbi-  
trabamur.

Præviarum propositionum feriatim rationes damus sequentes :

*1<sup>mo</sup>*. Sine sufficienti ratione Resolutioni Regiæ quod præfatus conventus catholicus contrarietur sequentes rationes demonstrant. *1<sup>ma</sup>* est quod Conventus ille Catholicus pro Achille suæ ratiocinationis in sua repræsentatione adducat, Regem ultra, & præter Pacificationum Viennensis ac Lincensis tenores, libertates religionarias dissidentibus admisisse. — Quid inde? si admisit? Dato non concessio admiserit. — Si pacificationes Viennensis, & Lincensis fructus sanguinis, lex & norma factæ sunt sæculo præterito pacis internæ regni, quare non arbitrium Regis, voto religionariarum partium, voto Regni expetitur, fructus sanioris mentis, legem pacis ac unionis hodie constituere non posset apud Hungaros? *2<sup>da</sup>* Ratio contrariantis conventus Catholici est, quod salvam velit

manutenere Regiæ Eminentiæ dignitatem, salvas Patriæ leges, salva jura constitutionalia catholicæ Religionis, sal-  
vum denique conscientiarum suarum di-  
ctamen; quæ omnia peritura dicit si be-  
nigna Resolutio Regia in legem transeat  
vigoremque obtineat. O præclaros cu-  
stodes & Regum & legum — ! — In-  
terim, quando quidem præfatus contradi-  
cens Conventus Catholicus in sua repræ-  
sentatione non remonstrat, qualiter, qua-  
ve sui parte & Rex, & lex periculum suæ  
eminentiæ & dignitatis per resolutionem  
Regiam subeant, vaga asserta nos infra-  
scripti miseramur potius, quam refellimus:  
sed sæculo 18vo ad finem vergente, ne-  
potibus Pacificorum Lincensium, &  
Vienensium liceat dicere, quod nunquam  
pejus tutamen bonus Rex & sana Lex ha-  
bere possint, quam a manibus Romano  
vinculo vinculatis. Istud demonstrabi-  
mus si provocati fuerimus. Quoad re-  
liqua

liqua duo, id est : Jura constitutionalia religionis catholicæ, & conscientiarum dictamen salvanda nos infrascripti arbitramur; quod jura constitutionalia religionis sit absurdum allegare apud nationem, quæ cum rege, religiones recipit; injuriosum autem apud nos, quorum magna pars religionis alterius est: Religio omnis est filia persuasionis, non constitutionis, Lex autem coactiva persuasionis non datur, nisi in infando illo inquisitionis sacræ tribunali. Tam ridicula & fanatica esset certe illa constitutio civilis, quæ opiniones & ritus suos religionarios sub pœna exhæreditationis suis posteris imponeret, quemadmodum sunt ridicula, & barbara nonnullorum Parentum testamenta, quæ proles nisi Testatorum religionem sequantur, a successione excludunt. Quoad autem conscientiarum dictamen salvandum arbitramur: quod major hæresis in mundo

non detur quam illa, quæ ejusdem matris Patriæ filios & fratres, propter opiniones mysticas, quæ nisi in alio mundo intelligentur, in isto a beneficiis temporalibus excludere nititur; adeoque venerabilem conventum catholicum contradicentem oramus, ut dictamen suæ conscientiæ ad hoc principium voce omnium illuminatarum gentium inclamatum, revocare dignetur.

2dum Assertum nostrum, quod scilicet præfatus Venerabilis Conventus Catholicus regni negotia pervertat, & moretur, brevibus demonstramus: Post septem mensium quos potissimum religionariæ disceptationes exhauserunt moram, totius regni & Catholici, & Evangelici precibus & desideriiis, invocata & permota Majestas decidit religionum questionem. Si arbitri, electi judicis, sententiam pars gravata morari nequit, quanta perversio idearum justæ, & securitatis

ritatis realis nostræ, consequenter tranquillitatis publicæ & domesticæ chaos, & confusio inde enasci deberet, si expectatam voto populi Regis sententiam, quam benigna sua resolutione tulit, pars altera iterum destruere vel morari, & totum regni Conventum, ad nova jurgia, & majora, quæ ab his sequi debent mala, & dissidia provocare posset: supersedemus nos infrascripti omnes inde sequelas deducere, quæ prudentibus rerum hungaricarum notæ sunt. Sed nationi toti, & cujus causa Rex est, Regi optimo, prudenti, temperanti Leopoldo, vere amato demisse commendamus, ut advertere dignentur: quid & qualis tincturæ animi eo opus sit? Ut pars Status Ungari nomine cælorum, qui non ipsius, sed Dei sunt, & nomine suæ pietatis; quæ Privatissimi facultas bona, vel mala est, tum Regem, tum nationem in jure temporaneo dicundo morari audeant.

Illud

Illud tamen, cum nos infraſcripti non ſimus Theologi, hic loci addimus pure ideo, quod ſenſui communi hominum adeoque noſtro intelligibile ſit; ſcilicet: ſi tres filii familias unus cimbalo, alter fidibus, tertius organo eundem Deum, & ſui, & instrumentorum diverſi huius cultus Creatorem bona fide colerent; atque ſub miti & Philoſopho Patrefamilias Leopoldo, juſto & ex æquo diviſo pane tranquilli viverent; Ah — ! hoc eſſet ſpectaculum dignum, in quod intentus operi ſuo reſpiciat Deus! ſubticemus conſectaria, ſufficit ſuſpiraffe.

*3tium* Aſſertum noſtrum fuit; quod prænomiſatus Venerabilis Conventus Catholicus Jus hominis conſulto per ſuam contradictoriam repræſentationem exſtinguere nitatur. Nos enim infraſcripti arbitramur; illum Deo, hominibus, & ſibi ipſi mentiri, qui ore, & aëtionem  
pro-

profiteatur interiori conscientiae propriae  
 convictioni contrarium; atque hinc ar-  
 guimus Apostasiam esse crimen sacerdo-  
talis imaginationis, & poenas hujus non  
alias considerari posse, nisi ut media coa-  
ctiva ad induendam hipocrisim, & blas-  
phemandum Deum: arbitramur deinde,  
quod fides sit donum Spiritus Sancti, &  
opus persuasionis, non coactionis; &  
quod homo mente nobilissima sui parte  
adeo sit liber, ut nec infernales, nec  
terrestres tyranni hoc privilegio ipsum  
potuerint spoliare; sed si in vicem per-  
suasionis mediis coactivis idem homo  
ad acceptandas dissonas a sua interna  
convictione opiniones coactus fuerit,  
tunc arbitramur, quod ipsi se hominem  
natum esse erit in maledictionem, & non  
in benedictionem, brutorumque sortem,  
suae longe praeribilem futuram. O De-  
us! Creator noster! paterisne tot religi-  
onarias in hoc tui operis mundo opinio-  
 nes,

nes, ut harum æstro perciti, scelere mutuæ persequutionis, pœnis, & humano sanguine Majestati Tuæ sacrificemus! ablit a nobis ista blasphemia.

*Atum* Assertum nostrum fuit, quod fatus toties venerabilis conventus catholicus, Juri hungarico insidietur, hujus asserti causas damus sequentes: Certum est quod aut Hungari receperint religionem Romano catholicam, aut religio Romano catholica Hungaros. Istud posterius dicere est absurdum; quia taliter religio Romano catholica fuisse debuisset in Hungaria, antequam Hungaria fuisset Hungaria. Certum est ergo quod Hungari receperint religionem Romano catholicam; habuerunt ergo Hungari Jus recipiendi, vel rejiciendi eandem. Insidiosum itaque est modo apud Majestatem querulari, quod religio Romano catholica inter receptas per Hungaros religiones nominetur. Nominari ipsam

ipsam pro recipiente, juxta Doctores Romano catholicos esset hæreticum; quia religio unice salvifica non potest recipere talem, quam damnatam asserit: pro dominante ipsam nominari esset absurdum, quia per Hungaros liberos, consequenter mentis & opinionis suæ Dominos, recepta est, & quidquid recipitur potest dimitti, quidquid autem potest dimitti, non potest dominans dici, nisi passive, id quod absurdum est. Justam ergo & propriam in Benigna resolutione Regia contentam receptorum Religionum denominationem, dum nominatus toties Catholicus Conventus sibi præjudicio esse asserit; peccat aut in jura publica gentis, aut in rationem; & dum in hæc peccat, nos nihil peccasse arbitramur, dum venerabilem conventum Catholicum juri hungarico insidiari diximus.

*5tum* Assertum nostrum est, quod dictus toties venerabilis Conventus

Catholicus constitutionem Regni in quæ-  
 sitionem sumperit ; id nemo negaverit,  
 res clara est. Sed quod privatus reli-  
 gionarius Conventus Regni ex pluribus  
 Religionibus compositi constitutionem  
 disputare, & disputando pro suo nutu  
 formare præsumperit, id quidem con-  
 stitutionale non esse arbitramur. Nam  
 quemadmodum ad libertatem pertinet si-  
 ve de constitutione, sive de gubernio pri-  
 vatis scribere & differere, ita libertati  
 adversum est, partem nationis sub insi-  
 gnia distinctiva religionarii cultus vocare,  
 & separare, & constitutionis civilis effi-  
 caciam & soliditatem ad ambulatorias &  
 gratuitas religionis opinionis reducere  
 velle, & asserere: quod cultus catholi-  
 ci externi ratio, cujus dominium sibi  
 Princeps externus, pluribus circa hunc  
 latis, & per sacerdotium hungaricum in-  
 ductis legibus appropriare nitebatur, con-  
 stitutionis civilis hungaricæ partem con-  
 sti-

stituat: Latepatenti nimium, nec ullis limitibus definitæ clavium potestati, seu quod idem est, Regno opinionis, sub quo servitus spe alterius mundi suffulta, in isto pervicacissima est, Constitutionem hungaram affbulare velle idem esse arbitramur, quod esset ex Regno Ungarorum Regnum Sacerdotum formare velle.

Non est hujus loci nec temporis deducere, qualiter & apud nos, & apud exteros Dominatio ista mystica creverit, ipsasque Coronas aliquando distribuerit, ademerit, & ipsum hoc Regnum Hungariæ clientelari Jure Pontifici obnoxium esse prætenderit? Non est hujus loci remonstrare, quam parum opus sit, si scholæ præsertim ad Cathedras & auricularia judicîa accesserint, ut indoctrinandæ hæ iterum opiniones, pervertant & opprimant iterum omnia; sed spectat ad nos hic loci dicere, quod dum toties mentionatus Venerabilis Conventus Catholi-

cus partiale corpus sub ductu Sacerdotii  
separatim iniit, & constitutionalia toti  
Regno communia Jura citra consortium  
Regni pro sua religione in privato catho-  
lico conventu in quæstionem sumpsit, &  
pro se contra aliam nationis partem de-  
rivavit, statum in statu formare voluerit.  
 Quem actum nos Infrascripti, timorata  
modestia penetrati ad Titulum 13. 1<sup>mæ</sup>  
Uladislai 6ti art. 8vum & Caroli 2di  
Art. 9num parcimus revocare, sed mo-  
deste id solum insinuamus, quod idem  
catholicus conventus constitutionem Re-  
gni in quæstionem sumpserit.

*6tum* Afferium nostrum fuit: Quod  
idem Venerabilis Conventus Catholicus  
Principis potestatem circa sacra pericli-  
tari sine nota erroris non possit. Nos In-  
frascripti arbitramur ad primas Juris Ma-  
jestatici partes, sive illud uni, sive plu-  
ribus competat, pertinere; ut leges cir-  
ca religionum exercitium, & omnia ex-

terna Sacra constituere possit : & quod isthac eminenti legislatoria facultate Reges Hungariæ in Comitibus semper usi sint, plena sunt legibus circa sacra latis decreta; Arbitramur deinde, quod si quæ tacita subreptione, Sacerdotii sive zelo, sive dolo, vel ipso etiam Regis populique consensu, ad moderna tempora, & circumstantias minus apta vel plane noxia in materia Sacrorum introducta sunt, illa omnia Potestas legislatoria mutare, tollereque possit. His insinuatis nos Infra scripti solo argumento rationis, quod in omni vitæ & constitutionis genere homini validissimum esse debet, & quod actu ad nostri asserti lucem pertinet, utemur, dicimusque: quod populus, qui non ratiocinatur, in quo tamen summæ status vires & nervus sunt, ritibus, sacrorum externo cultu, & hunc in finem latis præceptis, non autem dogmate capiatur:

Dogma est donum Spiritus sancti, & ipsius solius Judicio reservatum, ritus vero, & usus Sacrorum, præceptaque horum, sunt opus hominum: His positis audacter historia præteritorum temporum docti, dicimus: quod si Sacerdotium potestatem legislativam circa sacra sibi appropriaverit, actum erit de constitutione Hungarica; Per passionem enim & humanas, & sacerdotales, potestatem suam eo indubie perduceret, ut exclusivam leges potestatem sibi procuraret: Quia quemadmodum ad Sacrorum exercitium cultumque externum omnia, quæ hominis libertatem tangunt, revocari possunt, quemadmodum a sacerdotali prædominio & potestate, illæ inter reliquas infandæ quæstiones proflexerunt, num Princeps se aliarum per nationem receptorum religionum caput dicere possit? num fides illi servanda, qui Romam non audit?

audit? ita potestatem legislativam circa Sacra in manibus habendo Sacerdotium, Principis, populi, domuumque nostrarum sortem impeccabili, infallibilique manu librare pergeret.

Tantum est pro dolor opinionis Regnum! vinculantur prius superstitione populi, ut Princeps inter cæcos nihil possit, ipseque opinione sui populi catenatus sacerdotio subservire debeat.

7<sup>mum</sup> Assertum nostrum fuit: Quod idem venerabilis Conventus Catholicus sub velo religiosæ pietatis sacerdotalibus passionibus velificaverit.

Tempus tandem advenit lacerandi velum Hypocrisis, tempus est exponendi universali conspectui Passiones sacerdotales, & populis cognosci facere homines, qui perfidissimis factionibus salutarissimam omnium resolutionum reddere volunt execrabilem. Ita die 26ta Novembris Parisiis in Confessu

Diæta Gallico alloquutus est Clerum,  
& corpus nationis repræsentativum ce-  
lebris Mirabeau.

Nos tamen Infraſcripti, pròcul ab hac  
dicendi facultate, ſenſum aſſerti noſtri eo  
tantum extendi volumus, quod præter or-  
dinarias homini paſſiones Corpus Eccleſi-  
aſticum aliis etiam ſit ſubjectum, conſe-  
quenter in ſocietate hominum diverſimo-  
de animatum, diverſimode conſiderari de-  
beat: nos Laici dum ſocietatem inivimus,  
& Conſtitutionem formavimus, ſingulus  
noſtrum ex naturali ſuo jure in ſocietatem  
aliquid tranſtulit, ut ſalvet reliquum, ſin-  
gulus paſſiones ſuas coarctavit, ut reliquis  
tutius & citra noxam proximi uti poſſit,  
Venerabilis Clerus ſuas extendit, & au-  
xit: Iſtud augmentum indicavimus no-  
mine paſſionum Sacerdotalium: Tales  
ſunt v. g. Paſſio dogmatizandi, paſſio  
interpretandi, & diſpenſandi, paſſio Hie-  
rarchiæ, paſſio imperioſæ indoctrinatio-  
nis,

nis, passio potestatis Clavium, passio independentiæ, passio exemptionum, passio externæ protectionis & Domini, passio exclusivæ salvificationis, quæ omnes Civem destruunt, ut faciant Sacerdotem.

Nos Infrascripti arbitramur ex his passionibus promanasse omnes querelas, quæ petitione Principii nobis laborare videntur, quasve fatus toties Venerabilis Conventus Catholicus in sua Protestatione Augusto submitit, Talia sunt: quod absque omni limitatione, & absque clausula Viennensi citra præjudicium Romano-Catholicæ Religionis liberum Religionis exercitium receptis Religionibus Princeps admiserit. 2. quod vulnus proprietati nobilitari fundum intravillanum, aut cespitalem Ecclesiis, & Scholis erigendis concessuræ sit inflictum. 3. quod Rex privatum & publicum inter Religionum receptarum exercitium discrimen

men non fecerit. 4. quod ad præcaven-  
dam contribuentis enervationem in nego-  
tio introductionis Sacrorum & Scholarum  
ad receptas religiones pertinentium, non  
deputationibus mixtis, id est Venerabili  
Clero Romano Catholico, sed Comitatu  
solum Rex semet concrediderit. 5. Quod  
ministros receptarum religionum Evange-  
lii Præcones, Ecclesiasticorum titulo Rex  
dignatus sit. 6. Quod Synodos rece-  
ptis religionibus celebrare illicque sta-  
tuta ad religionem spectantia condere,  
sub Regia licet inspectione Rex admiserit.  
7. Quod receptarum Religionum caput  
semet Rex nominaverit. 8. Quod li-  
brorum ad Evangelicas Religiones perti-  
nentium censuram distinctis a Romano-Ca-  
tholica censura Censoribus, sub onere  
responsionis Rex concrediderit. 9. Quod  
Evangelicarum Religionum homines a dá-  
titiis stolaribus, & lecticalibus Catholico  
Parocho, qui ipsis non servit, solvendis  
immu-

immunitaverit. 10. Quod ad morientes, vel ad mortem damnatos Evangelicarum Religionum homines Catholicis Sacerdotibus, ex ratione Eminentialis Juris, accessum, quin vocentur, liberum esse Rex non declaraverit. 11. Quod Privilegia sæculis ignorantiae, & superstitionis nonnullis Civitatibus concessa, Evangelicos Civitate excludentia sustulerit. 12. Quod id in legalem constitutionem transire indulserit, ut Evangelicis per Sanctos, & B. V. Mariam, quos invocandos non credunt, non jurare liceat. 13. Quod Matrimoniales causas Evangelicorum a foro spirituali Catholico, distincta de Matrimonio Principia fovente abstraxerit. 14. Quod Religionem Romano Catholicam inter receptas per Hungaros Religiones collocaverit. 15. Quod sub incurso pœnarum Articulo 14. 1647. dictatarum violentias receptis Religionibus inferri prohibuerit. 16. Quod peregrinum

Juribus Hungaricis apostasiæ crimen sustulerit. 17. Quod mixtæ Religionis Parentum prolibus masculis, Patris acatholici Religionem sequi admiserit.

Omnes has querelas nos Infrascripti arbitramur ex passionibus Sacerdotalibus profluxisse, & tales esse, quod potius fatyra in societatem humanam & rationem videantur, quam sentimenta humanitatis: Brevi manu hæc refellent illi, qui his propius tangentur, & patientiæ capaciorem calamum habent: Nos Infrascripti in uno tantum puncto, scilicet in postremo, quo Rex mixtæ Religionis Parentum prolibus masculis, Patris acatholici Religionem sequi admittit, audemus Majestatem humillime interpellare:

Augustissime Romanorum Imperator, & Rex! Majestas Vestra, benigna sua resolutione Regia, in negotio Religionum Die 7. Novembris anno curren-

te elargita, quam in legem transire, consequenter se ipsam illa ligari clementer consentit, ostendit orbi & nobis, se ex divisione animorum Nationis, ordinario Principum absolutum Imperium prestantium manubrio, illegalem, & arbitrariam in Hungaros dominationem non quærere: Hoc nos grati agnoscimus, & quia a sæculis insolitum, cum penetratione interna admiramur, veneramur.

Majestas Vestra B. suam prædictam resolutionem: erga petitum partium Religionariarum, & desiderium totius Regni elargiendo, & qua arbiter per partes electus & expetitus, & qua Rex alium scopum, quemadmodum contextus totius resolutionis indicat, non habuit, nec habere potuit, quam pacem tranquillitatemque suorum subditorum, dissidentium opinionum flammis toties turbatam, in æternum securam stabilemque reddere.

Nos Infra scripti de his plene convicti, in sincera animorum nostrorum erga

sapientissimam & clementissimam Majestatis Vestræ intentionem effusione, præsumimus quoad punctum in præviis commemoratum, quo Majestas Vestra prolibus masculis ex diverso Matrimonio natis, patris Evangelici Religionem sequi indulget, repræsentare sequentia :

*1mo* Quod pax & tranquillitas publica, scopus Majestatis Vestræ, obtineri non possit, nisi pax & tranquillitas individuis domibus & familiis procuretur.

*2do* Quod individux domus patrem matremque familias diversarum Religionum habentes, & prolibus diversi sexus beatæ, vigore præviæ legis, gravissimo diffidiorum periculo exponantur. Causam damus asserti hujus sequentem: quod in sensu & consequentia præviæ legis, respectivarum Religionum Ecclesiastici, aut his similes Apostoli, individuum illam Religionibus divisam domum subintraturi sunt: Putamus autem actum esse de tranquillitate

te illius domus , in qua duo diffoni Catechetæ versantur.

3tio Ordinarie fit: Quod parentum unus aut hebetior, aut negligentior prolium Curator, aut officiis aliis distentus, alter ingeniosior, solertior, & tam in educatione quam in Religione sua zelozior fit: Si proles hebetis Parentis Religionem ex lege sequi debent, lex ista semper per ingeniosiore[m] eludetur; & donec eludatur, quantæ flammæ, rixæ, non tantum domum illam individuam, sed totam viciniam, & cognatum sanguinem, divexaturæ sunt? vidimus talibus in casibus, alias ex sinu matrum, horrente natura, magistratualiter abripi, alias proles autem, cum magna Domus & fortunarum jactura ad exterar[um] Regiones mitti, & recondi.

4to Fit sæpe, ut Paterfamilias cujus Religio prolibus sequenda esset; præmoriatur. Quanta tunc alterius Religionis

viduæ ; signanter si Epidemia Zeli laboret, aut horrenda illa exclusivæ salvificationis doctrina capta sit, tormenta interna, & externi influxus turbamenta subeunda sint ? est indicibile.

5to Ex sensu & ratione præallatæ legis istud consequens nascitur : Quod diversæ Religionis Pater & Mater familias si saniori Philosophia imbutus alter, aut uterque sit, id quod crescente rationis lumine eventurum frequentius speramus, proles suas ob pacem, unionem (cujus passio & desiderium apud probos maximum est) & ob æmolumentum domus suæ, in una eademque religione educandas susciperent ; Sacerdotes respectivarum religionum, ingessiva actione pacem hujus domus turbare nunquam negligent : Vexillum dominantis discordiæ in Domo unionis plantabunt, totam viciniam in partes adeo pertrahent, Magistratusque excitabunt, ut tranquilla illa familia non tantum suæ pacis

cis jacturam ferre, sed & existimationis civilis periculum subire debeat. Quantum tunc Domui illi chaos ! quanta infelicitas ! & dominium primæ in natura proprietatis , prolium scilicet, aut in Romana , aut in Augustana , aut in Helvetica Confessionibus, extra Patriam ergo, & in irrationabilissima omnium tyrannide, apud Reges scilicet opinionis quærendum erit.

6to. Ex ratione felicitatis Ungarorum promovenda non videri causam , Cur? dum Reformatae & Augustanae Confessionis Matrimoniis suas proles in illa, quæ placet Religione educandi libertas salva relinquatur ; Catholico - Evangelica matrimonia ipsa privari deberent. Si ex ratione Status id ita ordinandum, indoles ; mens, numerus & Character Ungarorum svasere? tacemus ; & sapienti Leopoldo nihil profus habemus, quod in contrarium proponamus : sed si hanc distinctionem in Lege,

Lege

Lege per quam nascimur & Ungari formari debemus, Lege unam eandemque nationem tangente, influxus factitius Devotismi, vel Cœli, vel Sacerdotis, vel respectus Romæ instillavit; Humane! Nobilis! & vere amate Rex! juramus tibi; nobis & Cor & verba deesse, quibus satis & tuæ bonitati, & nostris posteris hodie ingemiscere possimus, quia nos a Tua Domo ad Domuum imaginariarum non ita gubernium, quam fallax & barbarum imperium rejicis.

Accedit: Quod ratio Status Hungari, religionibus male quidem, sed tamen realiter distincti, ut uniri & felix reddi possit, id exposcat; ne in iis, quæ quæquam demum ratione ad vitam terrestrem spectant, decisione Regia distingvatur. Privata deinde nostra Nobilium Catholicorum Sors desiderat, ut nobis Matrimonia cum Reformatis & Augustanis Familiis ineundi

modus omnimode facilitetur, quia apud hos fortunæ, & opes, nos autem, ditio-  
re nostri parte ad Magnatum desciscente,  
impares illis, & vere inopes sumus.

Nos Infraſcripti, qui Maieſtatem Ve-  
ſtram Sepoſito timore & adulatione vere  
amamus, pari cum fiducia credidimus hæc  
Regi vere amato proponendo, ſive bona,  
ſive mala ſint, ad nos, cum Ungari &  
Deputati ſimus ſpectaſſe, ut proponamus;  
plena cum obedientia & vere ex animo,  
quocunq; Sapientia & Cor Maieſtatis Ve-  
ſtræ inclinaverint, Ejuſdem Alteſtæ de-  
ciſioni obtemperaturi, noſque omnimo-  
de conformaturi. Sed præter hæc nos ur-  
get adhuc & præſcientia & Conſcientia,  
ut quidquid melius in hac materia arbi-  
tramur, eloquamur.

Putamus, quod ſi Reſolutio Maieſta-  
tis Veſtræ prævio in puncto lata, aut de-

nuo ferenda, & in Legem transitura, sequenti textu verborum poneretur, multum anfas discordiarum domesticarum immi-  
 nueret, & fomitem religionariarum factio-  
 num, diffidorumque Scandala, magna in  
 parte præscinderet. Scilicet:

*Proles ex mixtis matrimoniis suscep-  
 tæ & suscipiendæ sexus parentum reli-  
 gionem reciproca sui sexus ratione se-  
 quantur. Hæc tamen lex nisi tunc suum  
 effectum obtineat, quando alteruter pa-  
 rentum personaliter apud Comitatum, vel  
 apud Reg. Loc. Consilium, querulose le-  
 gis hujus remedium imploraverit; secus  
 liberum ipsis esto, in qua voluerint, pro-  
 les suas educare.*

Arbitramur, quod si textus Decisionis  
 Regiæ in Legem transituræ prævius fuerit,  
 illorum quæ in præcedaneis induximus diffi-  
 dorum occasiones & irritamenta majori ex  
 parte

parte cessatura: Et quemadmodum malitiam publici tum privati causas imminuere spectat ad Legislatorem, ita spectat ad sapientiam ipsius illud prævenire, & Juri naturæque hominis, quo felicius & solatiofius ad bonum commune concurrat, quaqua demum ratione citra noxam societatis fieri potest, deferre.

Magnus Rex dixit: *L'essentiel est d'être heureux, ne fut ce, qu' en jouant aux quilles*: id autem futurum fore persuadent nobis sequentes rationes:

1mo. Quod proprietas prolium, quæ sanctissima esse debet, & quæ in functione educationis plurimum sentitur, parentibus prævio Legis textu secura reddatur.

2do. Quod matrimoniorum ineundorum ratio, consequenter impopulationis  
C 2                      lucrum,

lucrum, rescissis sacerdotalis influxus & dominationis impedimentis, faciliatur.

3tio. Quod mutuz tolerantiz & amori magnum adminiculum Lex ista, quæ tantum pro casu diffidii parentum adeoque morbi domestici conjugum medicinaliter lata est, datura sit; si receptarum religionum etiam rationem educationis publica hac lege receptam & adprobatam populi legerint.

4to. Quod hac lege omnis contractuum antematrimonialium inter diversæ religionis procos ineundorum ratio sufferatur; qui alioquin si procos contrahentes amore ebrios spectemus, deliri sunt; si homines religionarios? pœnitudinis & desperationis fermentum; si qua parentum sperativorum vincula? execrandi: Nam, quis unquam Pater vel mater obligaverit proles in tali religione educandas, quæ ad  
 orcum

orcum ~~si~~ non præcipitare, adminus eo ducere ipsis creditur.

sto. denique, Quia posita prævia lege, disceptationes & jurgia religionaria hominum, judicio solius DEI decidentur & præscinduntur; A DEI namque voluntate & nutu dependebit illum sexum dare nascituris ex mixto matrimonio prolibus, cujus parentis religio ipsi præplacuerit. Fatemur, Clemen illime Domine, quod ista postrema ratio nobis ludicra & plane Theologico-Scholastica appareat: sed sic fit, quando homines inscrutabilia Judicia DEI theologice concordare & defigere præsumunt. Ilicos intra muros peccatur, & extra. Has cogitationes nostras præsumptivus sapientiæ Majestatis Vestræ substernere, scientes: quod Regem, qui a tempore quo ipsi juncti sumus, se potius civem & hominem quam Principem ostendit, offendere dicacitate non possumus.

Servet DEUS Majestatem Vestram suis populis, & suæ benedictæ, amabili, Augustæ Familiæ ! hanc autem nostris posteris.

Reliquum adhuc quod in negotio fati toties venerabilis conventus Catholici declarandum habemus, & rationem ob quam ad eum non influximus, nec modo influere velimus, tangit, est: Imo. Quod idem venerabilis conventus Catholicus non fuerit Catholicus: Quia catholicus intelligitur pro universalis; atque nos Deputati Comitatum Catholici, & alii plures Catholici votum in Comitibus habentes, qui ad universitatem seu ad Catholicismum spectamus, illic non fuimus.

2do. Quod idem conventus catholicus in schisma defierit: Nam repræsentationem nomine suo Majestati pro exhibitione destinatam, & ante conventum confectam,

para-

paratam, & per D. D. Episcopos Dominis convocatis pro cœca subscriptione tantum præsentatam, pars convocatorum præsentium Catholicorum, major an sanior? ignoramus, subscribere noluit, ut primum perlegit.

3tio. Quod idem conventus Catholicus in Sessione regnicolari die 10. Decembr. celebrata, & vener. Clerus nomine corporis catholici, benignam normativam in exercitio receptarum religionum elargitam, tam per Catholicos quam Evangelicos cum argumentis & reflexionibus expetitam, & per Regnum a sua Majestate desideratam resolutionem, & decisionem in legem & effectum abire impediverit: pessimo prorsus in felicitatem Patriæ exemplo; quod Venerabilis Clerus cum illis in quorum opinionem dominatur & Regi & Regni decissa impune morari & suspendere, & a compromissi vinculo, post la-

tam sententiam libere recedere possit: seque supra legem, articulum scilicet 30um 1713. quem antea & in Deputationibus, & in sessionibus contra Evangelicos solenter inclamavit, nunc repudiat, esse positum; Regemque, non Judicem religionarii exercitii, sed tantum voluntatis sacerdotalis exequutorem esse debere, hic facto suo ostendit.

Liceat nobis Infra-scriptis hic addere unam reflexionem: num non sit conveniens? utile? imo necessarium? & Regi & Regno? ut prædictum sacerdotii corpus, quod captis opinione suorum asseclarum mentibus & viribus animosum, honoribus imperiosum, proventibus exorbitantibus præpotens, quod non Patriæ, sed dominationi romanæ servilis fidei & obsequii, & cum Regni nostri bono incompatibilis obligationis juramento obstrictum est, Cathedris item, majestuosis apparatus

tibus

tibus, benedictionibus, & maledictionibus, scholis, Sacramentis, dispensationibus, tribunalibus, disciplinis, & ipso jure, & tribunali quod exclusive possidet, sic dicto divino, omnia quæ hominem tangunt, sive afflandi, sive emmovendi potestate præditum, & formidabile est, Tale inquam corpus in statu statistica contrabalance froenare? — Non hos tempus, quia facultate selectivæ adoptionis vim temporis vincunt; — Non propagationis divisio, quia cœlibes voluntarii sunt: — Non mortalitas, quia semper & ad nutum renascuntur debilitabit unquam: per errores nostros crescent semper. Patria perpende!

Quæ dum dicimus, petimus Lectores ab individuis primorum nostrorum sacerdotum personis, omnes ab hoc scripto reflexibiles ad ipsorum individua idæas abstrahi. Damus, agnoscimus grati eminentes

nentes tum mentis tum animæ, & cordis  
 qualitates in iisdem, & dum spiritum pas-  
 sionesque sacerdotalis corporis non ama-  
 mus, veneramur scientiam, indaginem,  
 Beneficentiam & virtutes Battyhanianas,  
 & Kolonicianas. Statibus tamen & OO.  
 Regni proponere qua Status debemus:  
summas quoque virtutes & talenta, si sa-  
cerdotio romano nexa sint, Belgii exem-  
plo, in felicitatem Status non tam pec-  
caste, quam semper peccare debere: &  
hæredibus non propagativis, consequenter  
 cura, & amore naturali posterorum Pa-  
 triam amare nequeuntibus, indolem &  
 naturam locatariorum tantum inesse. Da-  
 tum Pofonii die 26. Decemb. 1790.

D<sup>e</sup> BALLAGI GEZA.

SS. & OO. Catholici  
 qui ad Conventum die  
 30. Novemb. celebra-  
 tum non influximus.